

huc passionum Christi propriarum in naturali suo corpore susti-
nendarum forent v̄segnua & defectus, nec potuisset Christus di-
cere, consummatum est, si adhuc aliquid consummandum ac perfi-
ciendum restaret, & passiones quoq; illæ, quas Christus in carne
sua pertulit, vicissim possent expiari, quod tamen ob sufficientis-
simum, absolutissimum & infinitum earum valorem est impossi-
bile, quum & omnes Jesuitæ concedant, Passionem Christi
in se fuisse plenam & sufficientem, adeò ut & mille mundis
redimendis suffecisset, fatente Cornel. à Lap. Proinde manet,
Paulum non pati pro Ecclesie redemptione, aut pro peccatis alio-
rum sive pœnis peccatis promeritis satisfactione, sed tantum
pro ejus ædificatione & fidelium in agnita veritate confir-
matione. Is enim scopus est Apostoli, ostensuri, nos in solo
Christo habere omnia. At si ipsius passiones explendæ es-
sent à Paulo, non haberemus omnia in solo Christo, sed partem
in Christo, partem in Paulo, quod esset contra sufficientissi-
mam Christi satisfactionem, qui solus torcular calcavit Esa.
LXIII. 3. qui unus est Mediator Dei & hominum, qui dedit semet-
ipsum pretium Redemptionis pro omnibus 1. Tim. II. 5. 6. Et falsi
sunt, quod culpam à pœna separare laborant, quum mutua in-
ter culpam & pœnam sit connexio, adeò ut, ubi peccatum sub-
latum est, etiam pœna simul ablata sit, teste Oecumen. in c. 5. Rom.
Quin ipse non solum pro Originali, sed & actualibus peccatis
omnibus satisfecit Esa. LIII. 6. Non solum pro peccatis, sed
etiam pro pœnis tam temporalibus, quam æternis Gal. III. 13.
et cum hâc nostra sententia consentiunt Patres Orthodoxi
omnes, Joh. Chrysof. homil. IV. in h. l. Theophylactus, Oecu-
menius, Theodoretus, Primasius, qui disertè h. in l. scribit, pro
nobis patitur, ut ædificaret. Idem sentit Hervæus, D. Tho-
mas, Lyranus, Glosa interlinearis & alii tum superioris, tum
inferioris ætatis interpretes. Nec discedunt ab hâc senten-
tia Jesuitæ, suis hæctenus contrarii, quod & ipsum Bellarmi-
nus ipse lib. II. de indulgent. c. V. fatetur. Videatur Benedi-
ctus Justinianus, Jac. Tirinus, uterq; in hunc locum; Illius
verba citata vide ap. B. Balduinum, utriusq; ap. B. Gerhardum